

non ad diripiendas bibliothecas, non ad trucidandos sacerdotes, non ad uirgines & honestas matronas rapiendas. Hæc cum omnia tegi suis armis, suoq; exercitu imperator uellet, exercitus, ut sæpe alias accidit, contra disciplinam militarem, contra fidem imperatori datam, auaricia, ad diripiendam urbem opulentissimam, quam sine præsidio esse animaduertat, incitatus omnia diuina atq; humana iura uolauit. Hos latrones optimo iure accuso, qui iniussu imperatoris sine legitimis ducibus, urbem Romanam inuaserunt. Finge iustam causam fuisse Romæ inuadendæ, tamen seditio est, sine legitimo imperio impetum in quenq; facere. Quid autem tam contrarium militiæ est, quam seditio, quia hanc unam ob causam, iure gentium bella geruntur, ut coerceantur hi qui per seditionem, sine magistratum autoritate, arma capiunt, Non igitur milites uocandi sunt qui iniussu imperatoris urbem expugnauerunt, sed quoniam ius gentium commune uolauerunt hostes non modo imperij, sed uniuersæ societatis hominum. Romani aliquot imperatores alij in filios, alij in principes ciues capitaliter animaduertunt, quia iniussu imperatorum, cum legitimis hostibus prouocati pugnassent, fuitq; tanta disciplinæ seueritas ut hostium loco haberentur, qui præter imperatoris edictum, gladium

B

strinx